

sonæ. 2. gravissime pecari ab eo, qui dixerit, tacita persona, in tali monasterio, vel domo delictum grave, v. g. adulterii, vel fornicationis esse perpetratum, cum infamia in monasterium, vel ordinem redundet. 3. dicere in tali monasterio non servari disciplinam, laxiorem vitæ rationem agi, nisi res sit notissima. Atque ita detrahentes tenentur famam restituere: quod si scripto, vel infami libello id fecerint, debent pariter scripto infamiam reparare. Explicandum autem est in Confessione, an cuiquam apud multos, an apud unum, vel paucos detraxeris; non tamen est necesse dicere, in quo genere alium infamaveris; cum eadem sit in specie fama in genere moris.

CAPUT II.

De restitutione honoris, & famæ.

17. *Quest. 1.* Quo modo restituendus sit honos per contumeliam ablati? R. si palam eorum aliis læsus sit; debet coram iisdem restitui, ita ut sit æqualis injuriæ satisfactio. Quod si contumelia fuit occulta, offensor tenetur petere veniam ab offenso, aut specialia illi exhibere honoris signa, quantum opus sit, ut ipsi fiat satis, & ejus animus reconcilietur juxta præceptum Salvatoris Matth. 5. *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, vade prius reconciliari fratri tuo.* Nihilominus si is, qui alterum in honore læsit, fuit Superior, vel longe superioris conditionis, non est opus ab offenso

veniam petere, sed satis est alio modo contumeliam reparare. Imo ut ait Aug. ep. 109. raro Superiores tenentur veniam a subditis petere, *ne dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Debent tamen injuriam compensare aliis honoris, & benevolentia significationibus. Quo autem modo satisfacere oporteat, prudentis erit confessarii judicare, attendita personarum conditione.

18. *Quest. 2.* Quo modo debeat fama restitui? R. si crimen falsum alteri imposuisti, teneris id aperte retractare, adhibito etiam, si opus sit, juramento. Non tamen est opus juramento testes adhibere, ut volunt Lugo, Bonac. & alii. Quod si ad id non sufficiat, dicere te deceptum esse, aut rem male intellexisse, debes profiteri te mentitum fuisse; & quidem fieri id debes coram iis omnibus, apud quos falsum crimen narrasti. An autem tenearis etiam retractari coram mediatis auditoribus, res est in controversia posita apud DD. Censeo non esse satis restituere famam apud auditores immediatos, nisi prudenter existimes istos se apud mediatos retractaturos; cum quisque ex justitia obligetur damnum illatum compensare, quantum in se est, si illud prævidere facile potuerit: secus vero si damnum, quod oriri exinde poterat, nec prævidit, nec potuit moraliter prævidere.

19. R. 2. Si crimen occultum, sed verum propalasti, debes famam restituere, dicendo, *te male dixisse, vel injuste diffamasse*, ut docet. S. Th. 2. 2. q. 62. Quod si hæc ratio non sit apta, ut certe non est inter personas non om-

nino simplices, alia est ratio communis, captare occasionem bene de illo, & honorifice loquendi coram iis, apud quos male loquutus fueras. Alii docent, posse te, ac debere coram illis asserere, errasse, *fuisse te deceptum*, & si opus sit, *te mentitum esse*; cum omnia peccata dicantur in Scripturis falsitates, & mendacia. Hoc enim solum est uti verbis ambiguis, quod videtur omnino licere, dum fama proximi omnimodis quo potest, sit reparanda ex. S. Th. in 4. d. 15. q. 1. a. 2. Sed hæc ratio a multis aliis non probatur, quia vindicari nequit a mendacio, quod nunquam licet proferre.

20. *Quest. 3.* Ad quid tenetur, qui bona fide alteri famam detraxit? R. cum primum id animadvertit, debet ex iustitia famam restituere; non secus ac incedens domum alterius sine culpa, teneatur ignem extinguere; aliter damnum quod inde sequitur, ipsi imputatur. Non ita tamen stricte ad id obligatur, ut ille, qui mala fide id fecit: hic enim tenetur etiam cum æquali detrimento famæ suæ, non ita materialis detractor. Tenetur etiam is, qui mala fide infamavit, reparare omnia damna, quæ ex læsione famæ orta sunt, sive sint fortunæ, sive honoris, sive amissionis officii juxta spei æstimationem, si ipsa saltem confuse prævidit, & in communi; quæ obligatio restitutionis damni, cum respectum habeat ad bona infamantis, transit ad hæredes, licet ad illos non transeat obligatio restituendæ famæ, quæ personalis est.

Si crimen de aliquo narrasti, quod auditores ex errore intellexerunt de alio, non teneris

ex iustitia ad restitutionem, cum ipse non fueris causa efficax alterius damni, sed talis fuit error audientium; ad id tamen ex charitate obligaris, cum possis sine tuo detrimento damnum proximi cavere, aut reparare.

21. *Quest. 4.* Ad quid tenetur, quid infami libello, vel scripto famæ alterius detraxit? R. tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis, vel publica revocatione: eadem autem est ratio de iis, qui aliquod signum infamatorium appendunt ad januam domus alicujus, ut publica fiat infamia: item, qui sine actoris nomine schedulas ad iudices contra alique deferunt, ob quam prohibetur iudicibus ad inquisitionem procedere c. *inquisitionis* §. 3. de *accus.*; omnes autem hi, qui libellos hujusmodi conficiunt, subjacent pœnæ excommunicationis ferendæ ex cap. *qui alterius*; latæ autem ipso facto, si libellus sit contra Papam, & Cardinales. Imo reservata est excommunicatio, si sit contra ordinem Minorum, & Prædicatorum, & alios eum eis communicantes; non vero si libellus feratur contra Religiosum particularem.

22. *Quest. 5.* Quænam excusent a fama restituenda? R. 1. impotentia sive physica, sive moralis. Qui autem nequit restituere totum, tenetur quoad partem, quam potest. 2. si crimen occultum, quod revelasti, alia via factum sit publicum, vel si auditores illud non credant. 3. si fama aliis modis sit recuperata, ut infamati purgatione, vitæ probitate, testimonio prudentum. Sed tunc reparari debent damna, quæ exinde orta fuerint. 4. si prudenter judicetur

rem dudum oblivioni esse traditam; aliquando enim periculosa est retractatio, ne revocetur in memoria, quod forte sepultum erat. Quod si dubites, an crimen sit, nec ne oblivioni mandatum, videndum est, an delictum fuerit verum, an falsum. Nam si verum fuit, inquit DL. non esse facile revocandum ad memoriam, nisi certum sit periculum, quod infamia alia via redeat in memoria. Si vero crimen alicui afflictum falso fuit, retractandum est, quamdiu non constet de oblivione, aut prudenter non timeatur, ne retractatio plus obsit, quam prosit alterius famæ.

23. *Quæst. 6.* An liceat compensare famam cum fama, hoc est, differre restitutionem famæ illius, qui tibi etiam detraxit, donec ipse velit tuam restituere? R. Certum est tibi non licere ei famam auferre, qui te infamavit, cum hæc non sit compensatio, sed potius vindicta, nec fama tua reparètur per infamiam alteris. Certum est item te obligari ad restituendam ei famam ablatam, qui paratus est tuam restituere. Nec minus certum est eam compensationem locum non habere, quando ex ea redundat in alios infamia. Quando autem nihil horum sequitur, multi censent posse te omittere restitutionem famæ, donec alter tibi ablatam restituat. Quamvis enim nunquam liceat famam alteri auferre in compensationem, licite tamen omittitur restitutio, quando adest justa causa omittendi; justa autem est causa omittendi ad servandum te indemnem, ne cogaris suum jus alteri reddere, donec ille tibi tuum reddat. Ita Layman,

Salmant. Continuator Tournely, & alii contra Navarrum, Valentiam, & Lugo, qui satis probabiliter id negant licere.

24. *Quæst. 7.* Utrum fama sit pecuniâ compensanda, cum aliter nequeat? Affirmant aliqui, adducentes illud D. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. *vel si non potest famam restituere, debet ei aliter compensare.* Negat tamen communior sententia, cum justitia solum obliget ad damna resarcienda per aliquid æquale, vel æquivalens; pecunia autem talis non est, quia fama est ordinis longe superioris, ut alibi diximus. Congruum tamen est, & laude dignum, ut si detractor sit dives, & pauper læsus, ille pauperi pecuniam exhibeat, ut injuriam quodammodo compenset. Et licet aliqui censeant infamatum posse sibi pecuniâ compensare, quando alter nequit, vel non vult aliter satisfacere, attamen contraria est nobis tenenda, nisi auctoritas judicis intercedat.

25. *Quæst. 8.* Quænam sint aliæ causæ a restitutione famæ excusantes? R. 1. periculum vitæ, aut alterius gravis damni, quod longe majus sit, quam damnum alterius famæ. 2. si fama restituenda sit multo minoris valoris, quam fama detractoris; ex quo capite Prælati excusatur modo supra dicto. 3. si restitutio famæ sponte condonetur; quæ condonatio licita esse potest, cum quisque dominus sit suæ famæ. Peccatur autem famam condonando, cum infamia condonantis redundat in alios, & tunc potest esse grave peccatum. Erit tamen levis culpa, si fiat sine justa causa, licet sine damno, vel scandalo.

CAPUT III.

De mendacio, & de nono, & decimo
Decalogi Præcepto.

26. *Quæst. 1.* Quid sit mendacium, & quo modo prohibitum? Mendacium ex S. Aug. & Th. est omnis locutio contra mentem; nomine autem locutionis venit etiam quæcumque externa significatio, v. g. gestus, scriptura, & nutus. Illud esse prohibitum jure Divino, constat ex multis Scripturæ locis; nam Levit. XIX. v. ii. præcipitur: *non mentiemini.* Eccl. 7. *nolli velle mentiri omne mendacium.* Paulus autem ad Colos. 3. *nolite mentiri invicem.* Jure quoque naturæ prohibitum est, atque adeo per se, & natura sua malum est; pervertit enim ordinem naturæ, quæ instituit locutionem, ut possint homines sibi ipsis invicem sensus communicare. Si liceat autem aliud verbis exprimere, aliud mente celare, finis vitæ socialis evertetur.

Duplex autem esse potest mendacium, aliud jocosum, sive officiosum, quod joci, vel excusationis causa profertur, idque de se veniale est; aliud perniciosum, quod lædit honorem Dei, vel damnum infert proximo: istud vero est grave peccatum, nisi excuset levitas materix, vel inconsideratio mentis. Hinc Sap. 1. dicitur: *os, quod mentitur, occidit animam.* & Ps. 5. *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.*

27. *Quæst. 2.* Quid prohibetur nono, & decimo præcepto: *non concupisces domum proxi-*

mi tui, nec desiderabis uxorem ejus. Exodi 20. v. 17. R. duplici hoc præcepto prohibetur avaritia, quæ est appetitus immoderatus divitiarum; atque etiam desiderium alienæ uxoris, in quo continentur internæ concupiscentiæ, & affectiones circa ea, quæ in sexto præcepto prohibentur. Itaque consulenda sunt ea, quæ diximus de sexto, & septimo præcepto, atque etiam dicenda de peccatis.

TRACTATUS IX.

De Præceptis Ecclesiæ.

Ecclesiæ præcepta, populo Christiano communia, quinque omnino numerantur; ex his solum nobis agendum est de præcepto jejunii Ecclesiastici, & de præcepto solvendi Decimas; de sacri enim auditionem satis est dictum in tertio Decalogi præcepto: de præcepto autem annuæ Confessionis, & de præcepto Eucharistiæ dicitur in Tractatibus de Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Sit ergo—

CAPUT I.

Quid sit jejunium, & qualis ejus obligatio.

1. *Quæst. 1.* Quænam condiciones requiruntur ad jejunium Ecclesiasticum? R. Tres: Unica in die comestio, quæ sub gravi obligat: abstinentia a carnibus, ovis, & lacticiniis, &